



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

13. S. Lucia Virgo, & Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

690 XIII. Decembris. S. Luciæ.

di capita inclinemus cum dicto mentali:  
*Salve! laudetur millies!*

Festum S. Luciæ Virginis &  
Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

**N**Ucantes in fide ut confirmaret Lucia,  
Deum rogat, ne subitò interficeretur inter tormenta. Placuit cœlo sanctum  
votum, & conservata est in lucrum ani-  
marum. Nutant, & periclitantur adhuc  
innumeræ animæ. Quid hîc charitas, &  
benevolentia nostra? In auxiliis terner  
non debet. Compedes corpori injici,  
non animo possunt; liberum hunc vo-  
luit Deus, ut arbitrio suo dextram eligat,  
vel sinistram, proximum deserat, & amo-  
rem sui præponat. Cum Maria nos par-  
tem eligamus optimam.

*Instructio meritoria.*

*Oratio* Pro illuminatione omnium infide-  
lium, paganorum, Judæorum, & hære-  
ticorum, præsertim illorum, quibus lu-  
men fidei adhuc illuxerat nunquam, re-  
citemus officium cum Lytaniis de Spi-  
tu Sancto. Si boni & pii nil agunt pro  
lucro



lucro animarum, sanguis Christi peribit  
in multis. Multi enim vocati, sed pauci  
electi. Et hos paucos in fide, & charitate  
firmit Christiana pietas.

## II.

**M**aluit S. Lucia torqueri gravissimè,  
modò permetteretur longius vi-  
vere pro salute unius animæ pretiosæ.  
Tanti faciunt animas Sancti! Non mirum!  
Dedit & pro harum pretio Pater æternus  
suum Unigenitum. Fili! erimusne nos  
tam ignavi ut nec propriam, nec aliorum  
æstimemus, & æstimandô pro omnimo-  
dâ justitiâ, & sanctitate etiam grandia, &  
heroica audeamus opera? Abjecti animi  
ad omnem difficultatem trepidant. Vi-  
rum exuat, qui ad primum sancti laboris  
conspicuum fœmineum degener fugit in  
pavorem. Magno servimus! Magna ten-  
temus.

*Instructio meritoria.*

Probemus hodie zelum, probemus &  
amorem! Igitur ut omnes sancti & san-  
ctæ Dei succurrant jamjam de salute pe-  
riclitantibus, coram Sanctissimo Venera-  
bili dicamus *Lyranias de omnibus San-*  
*ctis.*

*Etis.* Membrum compatitur membro,  
Quam doctrinaliter Paulus : Pro invi-  
cem solicita sunt membra, & si quid pa-  
titur unum membrum, compaciuntur  
omnia membra : sive gloriatur unum  
membrum, congaudent omnia membra;  
vos autem estis corpus Christi, & mem-  
bra de membro.

## III.

**A**H! quid video? Lucia Virgo ad lu-  
panar rapitur. Quid oviculae inno-  
centissimae inter lupos? At ô fili! non ti-  
meamus! Deus stetit pro innocentia;  
quia castam nec manus violenta à loco  
potuit dimovere. O quis cordis Virgi-  
nitatem, & innocentiam non custodiat?  
Hanc qui dimisit, amisit Deum, amisit  
omnia. Polleat homo quacunque vir-  
tute! si careat castimoniam, fictas virtu-  
tes numerat.

*Instructio meritoria.*

*Ora pro eis.* Ut intercessione S. Luciae multiplicen-  
tur casta in mundo, & SS. Religionibus  
pectora, Litanias de Beatissima Virgine  
Maria persolvamus dicendo : *Ora pro  
eis.* Addendô in fine *septem Pater &*

*Ave*

XVIII. Decemb. Expectationis B. V. M. 693

Ave in honorem septem Festorum Mariæ. Qui elucidant me, vitam habebunt æternam.

## Festum Expectationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

### EXHORTATIOUNCULA I.

**E**xpectat Maria Redemptionem nostram. O quali cum gaudio! quantâ modestiâ, & puritate! Chare fili! nunc quid & nos expectamus, ut in cor nostrum veniat oriens ex alto Christus Jesus cum omnibus suis donis, & gratiis? Præparetur itaque cor, & illis exornetur virtutibus, quibus excoluit Maria, & videbimus gloriam Domini intra nos. Animi, & corporis mundities oculos mentis acuit ad videndum Deum. S. Xav.

### Instructio meritoria.

Speciali affectu, & devotionis sensu gratulemur Mariæ ad instans Nativitatis Dominicæ gaudium; quod, ut usque ad ipsum festum debitè præveniamus, quotidie recitemus novem Pater, & Ave, & si fieri potest, etiam novies Magnificat in